

severitatem legum, cum aliquo temperamento benignitatis. Verba sunt Marciani in leg. perspicendum 11. in fin. princ. Digest. de pœn. Neque ad exemplum pœna capitalis requiritur, quia si experto per viginti quinque annos, & amplius in judiciis criminalibus (quorum decem in hac Curia munus Præfecti Regiæ domus, & Curia gessi) fides adhiberi potest; plus deterret multitudinem popularem Hispanorum, fugigationis pœna propter ignominiam resultantem, quam acerba ultimi supplicii. Quod Trajan-Bocalini fateatur dum *reguaglio quarto, centur. secunda, dicit quella honorata nation Spagnuola esser posporre la cura dalla vita al zelo della reputatione.* De quo plura exempla referre possem; sufficientiam duo ad comprobationem. Quidam Faber ob resistantiam qualificatam fustibus cæsus, fuit, & cum robustissimæ salutis esset, intra biduum præ rædio, vitam cum morte commutavit. Anno millesimo sexcentesimo sexagesimo quarto, in mense Octobris ob penuriam annonæ panis, aliqui ex popularibus perturbabantur in hac urbe, & aliquorum prompta fustigatione, omnia ad tranquillitatem restituta fuerunt.

Hæc de causa Antecessores nostri in Magistratu Præfecturæ Regiæ domus, & Curia, frequentissimè hac pœna utebantur & perrarè pœna capitali, vel alia graviori. Quod evidenter apparebit cuicumque Archivi majoris monumenta revolventi. Ego enim libros deliberationum (de *acuerdos* dicere solemus) scrutavi ab anno millesimo quingentesimo septuagesimo primo, usque ad annum millesimum sexcentissimum sexagesimum, inclusivè, & observavi quod usque ad annum millesimum sexcentissimum decimum quintum, pœna fustigationis præmanibus, ut ita dicam, continuè habebatur, non solum in fures, expilatores, seditiosos, carceris effractores, & resistentes familia; sed in dardanarios, laniones, tabernarios, & tractantes in omni genere eduliorum; ita ut in rebus parvi momenti sub comminatione hujus pœnæ pro prima vice absque alia pœna liberarentur, & pro secunda pœna exequeretur; &

tunc rarè delicta atrociora perpetrabantur. Ab eo tempore jurisdictionum privativarum usus increbuit, & punitio condigna delictorum difficilis facta fuit, competentiarum causæ multiplicatæ, & per indirectum indulgentiæ janua patefacta, incensivum delinquendi concessum, gliscente audacia exemptorum, & oblivioni commissa primæva illa severitate. Hinc rerum venalium in foro, maçellis, atque tabernis, corruptio, licentia, & abusus; hinc metus pœnarum obliteratio; hinc rerum plurimarum confusio. Remedium non solum possibile, sed facillimum credo, si jurisdictionum exemptiones de medio tollantur, & severitas ad pristinum statum reducat. Quia, ut dixit Imperator in leg. fin. Codice Theodosian. de defensor. civitatum, ibi: *removeantur patrocina qua favorem reis & auxilium scelerosis impartiendo, maturari scelera fecerunt: ubi Jacobus Gothofredus inter alia ait quod impunitas parcens, crudelitas est.* Neque necessaria erit sanguinis humani profluxio, sed flagellorum pœnæ ad usum restitutio, sepositis indiscretæ miserationis prætextis. Ex universis Hispaniæ Regnis, imò & Europæ, deteriores ad Curiam tanquam ad asylum confugiunt, & si benè perpendis, *colluviem illam non nisi metu coercueris*, ut dixit Tacitus lib. 14. *annal.* ad quod similem pœnam potentissimam credo, imò unice efficacem.

CONTRO



CONTROVERSIA XLIII.

De latronibus & grassatoribus, quos Salteadores dicere solemus.

SUMMARIUM.

- 1 Latrocinii, & Grassationis crimen frequentissimum est, & de eo Doctores plura disserunt.
- 2 Latro famosus dicitur qui ratione præda viatores spoliat, & necat.
- 3 Latro non est qui solitus est furari.
- 4 Grassatores sunt, qui in itineribus viatores spoliant.
- 5 Latronis nomen in sui origine ad bonum significandum institutum fuit, & per invidiam ad malum productum.
- 6 Latrones dicebantur milites mercenarii, qui circa Imperatorum latera cubabant.
- 7 Latrones nunc dicuntur, qui in silvis, & itineribus latent, & viatores à latere aggrediuntur.
- 8 Latrones sunt, qui per insidias, & fraudes viatores spoliant.
- 9 Latrones licet pluries viatores interficiant, principalis finis non est homicidium, sed præda.
- 10 Latrones, & grassatores hodie ferè idem sunt.
- 11 Præsertim jure Hispano attento, in quo nulla differentia reperitur.
- 12 Præda facta in itinere, silva, aut eremo, pœna capitali plectenda.
- 13 Præcipuè secuto homicidio, & tunc latrones in furca suspensi, & in frustra scissi in eisdem itineribus ad exemplum puniuntur.
- 14 Præda similis repetita, etiamsi homicidium non sequatur, eadem pœna punitur.
- 15 Aula decisio in grassatorem reiterantem.
- 16 Grassator semel reiterans crimen pœna capitali coercendus.
- 17 Grassatio unica ingentis quantitatis pœna capitali plecti debet.
- 18 Grassatio excedens summam quinque millium maravedinorum capite punitur.
- 19 Furtum magnum an puniri capitaliter possit à pluribus dubitatur.
- 20 Furtum simplex magne quantitatis puniri potest capitaliter.
- 21 Furtum qualificatum magne quantitatis puniri debet capitali pœna.
- 22 Furtum magnum, seu grassatio ingentis summe, facta in itinere, ultimo supplicio puniri debet.
- 23 Subripiens pecuniam fisci capite punitur.
- 24 Furtum pecunie fiscalis læsæ majestatis crimen includit, saltem in secundo capite.
- 25 Decisio supremi Senatui.
- 26 Grassationis auctor questioni suppositus, & negans, si postea convictus fuerit, an pœna capitali plectendus.
- 27 Grassatio si semel fiat absque qualitate aggravante, an pœna capitali puniatur.
- 28 Commutatio pœnæ in hoc casu fieri

ferri potest, & sic praxi receptum est.

29 Decisio Aulæ pœnam in his terminis commutando.

30 De piratis atque cursoriis, qui in mari latrocinia exercent disputatione remittitur ad secundam partem harum Controversarum.

1 **L**atrociniis, atque grassationis crimen frequentissimum ubique esse solet, ob quod à Doctoribus de criminibus tractantibus plura tradita, atque disputata passim reperitur: quare omissis vulgaribus principiis hujus materię, tanquam tyronibus noti, tantum specialia quædam scribere decrevi, ut praxis nostræ Aulæ ab omnibus percipiatur.

Latronis nomen plerique intelligunt propriè significare illum qui prædæ causâ viatores, in silvis, nemoribus, & itineribus insidiatur, bonis violentet spoliatur, & vitam nequiter adimit; itaque necessarium sit, quod concurrant rapina, & homicidium quod inferunt ex Textu in leg. capitalium, Paragraph. famosus, Digest. de pœn. Hujus opinionis fuit Jodoch. in praxi, capite octogesimo sexto, ex numero primo, qui decem & octo Textus sacræ paginæ, juris Cæsarei, & Pontificii adducit ad comprobationem, quorum plures refert Carpzovius in præf. crimin. parte prima, questione vigesima secunda, numero quinto. Sed Accursius in Auth. sed novo jur. Codice de serv. fugit. latronem famosum credit cum qui solitus sit furari. Decipitur namque, quia aliud est esse famosum furem, & aliud famosum latronem, ut notat accuratè nostras Don Joannes Vela de delict. prima parte, capite duodecimo, numero vigesimo secundo. Alii latrones à grassatoribus distinguunt in eo, quod latro sit qui vitam cum bonis adimit. dict. leg. capitalium, Paragraph. famosus. Grassatores verò, qui itineribus ferro viatores aggrediuntur, & bonis spoliatur, ut in eadem leg. capitalium, Paragraph. grassatores habetur, ubi dicitur quod proximi latronibus sunt, & sic notant passim Doctores. Sed quia ratione pro-

ximitatis, vel ratione substantiæ unum & idem crimen videtur; nam ferro aggredi viatores, idem in substantia est, ac interimere, cum ex aggressione hujusmodi vulnera procedant, & ex eis neces, & violentiæ in utroque casu æqualiter sequantur, communiter Doctores tenent, quod hodie pari pœna puniuntur.

Ad cuius rei comprobationem supponendum est, quod in propria significatione Latini sermonis, idem Latro, atque Grassator sonat. Nam licet ab initio Latronis nomen ex eis sit, quæ in sua origine instituta fuerunt ad bonum significandum, postea per invidiam, aut ironicè, ad malum applicata reperitur. Quia latrones antiquitus dicebantur milites, qui mercede militarent, quasi servientes, sumpta derivatione à verbo Græco *latro*, quod est *serviit*, vel à latere, quia plerumque latera Imperatorum, sive Regum stipabant, & prope eos excubare solebant. Quod probat Festus Pompei. libro decimo & 17. Varro de ling. Latin. libro sexto. Alexander ab Alexandro libro sexto dier. genial. capite vigesimo secundo, & ibi Tiraquel. Brissonius de verborum significatione, Brochæus, & Geddræus in leg. hostes 118. Digest. de verborum significatione, Servius in 11. Aeneidos Virgillii, Calvinus in lexic. juris, verbo latrones, & Doctissimus Patet Zerda in 12. Aeneidos in princ. notat. decima, sed postea latrones dicti qui in silvis, nemoribus & itineribus grassantur, vel quia latera stipata ferro habent, vel quia de latere viatores insidiatur, aggrediuntur, spoliatur, atque interimunt; sive quia latenter eos expectant. Sic Sext. Pompei. ubi proximi. ibi: latrones eos antiqui dicebant qui conducti militabant: at nunc viarum obsessores dicuntur, quod à latere adoriantur, vel quod latenter insidiatur. Varro dicto libro sexto, ibi: latrones dicti à latere qui circum latera habebant ferrum, quos postea à stipatione stipatores appellaverunt, & qui conducebantur mercede. Ab eo veteres Poëta nonnumquam milites appellant latrones, quod item uti milites cum ferro, aut quod latent ad insidias faciendas. Quæ confirmat Dionysius Gothofredus

fredus in not. ad encl. & quanquam latrones etiam vocentur à Principibus ii quos invadentes purpuras necaverunt, ut tradit Fla. Vopiscus in vit. Firm. & eo relato Jacobus Gothofredus in leg. sentiat latro 14. Codice Theodosia. de bon. proscript. ad fin. hoc abusivè est, & propria significatio prædicta.

Ex his resultat, quod licet ipse Carpzovius dict. questione vigesima secunda, numero primo, & sequentibus, teneat quod latrones sunt, qui aperto Marte viatores aggrediuntur, obstat ipsa ratio derivationis, quia sive à latere, sive à latendo desumatur, latrones sunt, qui per insidias, & fraudes viatores spoliatur, ut bene de more, notat Jacobus Cujacius in dict. leg. centesima decima octava, Digest. de verborum significatione. Quod comprobatur ex his quæ scripsit Ammian. Marcell. libro vigesimo septimo rerum gestarum, numero decimo nono, ibi: adhibitis semiermibus pœncis, quos dieminas appellant, unum grassatorum cuneum, si patuisset facultas adoriri conatus, per angustum quandam transiens anfractum, ad inevitabilem venit insidias, & ibi cum his confessus est quos ducebat. (Tractat enim de Musonio ad eos perfequendos progressu Tali successu latrones pratimidios, palantesque, per varia confidentius interfecit aliquibus, ad latebrosa montium saxa, qua incolunt excitate tandem copia construxerunt. Et licet certo certius sit, quod plerumque latrones viatores interficiunt, vel ut pecunias occultas extorqueant, vel ut resistentes doment, spoliaturque præcipuum illorum scopus præda est, ut docent Jul. Clarus Paragraph. fin. questione trigesima, numero decimo quarto, Tiberius Decian. libro sexto tractat. crimin. capite vigesimo octavo, numero secundo, & libro nono, capite vigesimo nono, numero sexto, & septimo. Peguer. decisio quadragesima, numero tertio, & sequentibus, Petrus Gregorius libro trigesimo septimo Syntagm. capite nono, numero nono, Farinacius questione centesima sexagesima sexta, num. decimo quarto, Menochius de arbit. casu ducentesimo nonagesimo quinto numero decimo quarto, Caball. de homicid. numero quadringentesimo decimo sexto, Sebastianus Guazinus defens. prima, capite trigesi-

mo octavo, numero trigesimo tertio. Mar. Giurba consil. nonagesimo, numero duodecimo, Antonius Matthæus libro quadragesimo septimo Digest. titulo secundo, capite tertio, numero primo. Matthias Berliquis practica. tomo quarto, conclusio. vigesima, numero quinto, cum sequentibus, qui omnes latrones, & grassatores pro eisdem tenent, & eadem pœna puniendos docent. De iure nostro nulla reperitur facta differentia inter eum qui viatores insidiatur in itineribus, ratione prædæ tantum, & ratione interficiendi etiam, ut patet ex leg. 18. titulo decimo quarto, part. septima, & ex leg. septuagesima quinto. Syl. quam de latrone, & grassatore interpretatur Christoph. de Paz ibid. numero quarto, & sic tenent ex nostratibus Dominus Covarruvias libro secundo, Var. capite nono, numero septimo, & libro quarto, capite quinto, in princ. Antonius Gomez libro tertio, Var. capite quinto, numero decimo, Vela de delict. dict. parte prima, capite duodecimo, numero vigesimo secundo, Azcvedo in leg. septima, titulo undecimo, libro octavo, recopil. numero centesimo septimo, & in leg. octava, numero decimo, Dominus Gregorius Lopez in dict. leg. decima octava, glossa 5. & 6. Villadiego in leg. 12. titulo secundo, libro septimo, for. judic. numero quinto & sexto, Gutierrez in præf. crimin. questione centesima quinquagesima sexta, numero quarto, & Pichardus in manduct. ad praxim, parte tertia, Paragraph. quarto, numero sexagesimo quarto, sive enim occidant, sive non, dum in itineribus viatores insidiatur, & spoliatur, apud nos saltadores dicuntur, & pari pœna puniendi sunt. Derivato nomine à saltu, quia inter saltus, & silvas latent, ut tradit Sebastianus Covarruvias in thesaur. verb. saltar, nulla facta distinctione inter latronem, & grassatorem; inte occidentem, vel non occidentem, ut omnes ii Doctores Hispani tenent.

Sed quia aliqui sunt qui differentiam aliqualem constituent ad effectum imponendi pœnam, quales sunt Dominus Gregorius Lopez, Villadiego, & Gutierrez ubi proxime, distinguendi sunt aliqui casus, ut veritas facilius percipiatur. Primus casus est quando

quando simul cum præda sequutum fuit homicidium: in quo omnes uno ore fatentur, quod reus capitaliter plectendus est. Textus in *dict. leg. capitalium*, Paragraph. famulos, *Digestis de pan. leg. prima*, in princ. *Digest. ad leg. Cornelianam de sicar. leg. si ut allegas 4 Codice eod. ubi communiter Doctores*, & sic tenent unanimes omnes relati *suprà numero decimo, & undecimo*, & in specie cuncta cumulant Carpozovius *dict. questione vigesima secunda, & vigesima tertia*, & Gutierrez *dict. questione 156. ex numero quarto*. De jure nostro *leg. sexta*, titulo *decimo tertio*, libro *octavo*, *ordin. & leg. sexta*, titulo *vigesimo tertio*, libro *octavo recopil.* Ubi Didacus Perez, & Azevedo. Quibus juribus etiam comprehenduntur vulnerantes. Et sic definitur Aula in causa necis Petri Lopez librorum mercatoris, qui à Prædonibus nequiter occisus fuit in itinere de Alcala, prædæ faciendæ causâ. Nam rei, quorum duo minores viginti quinque annorum erant, sed majores decem, & septem, condemnati fuerunt ad pœnas furtarum, & quod traherentur ad caudam jumentorum, & post executionem cadavera illorum in frustra scissa ponerentur in eodem itinere, ut cum effectu posita fuerunt, cujus decisionis mentionem feci *suprà controvers. secunda*, numero *quadragesimo sexto*, & *controvers. vigesima sexta*, numero 25. & 26.

Secundus casus est quando pluries facta grassatio fuit; nam in hac specie est Textus expressus in *dict. lege capitalium*, §. *grassatores*, *Digest. de pan. & de jure nostro dict. leg. decima octava*, titulo *decimo quarto*, part. 7. & neque Gregorius Lopez, Villadiego & Gutierrez, neque ullus ex interpretibus juris communis, dubitat pœnam ordinariam imponendam esse. Et sic decrevit Aula in causâ cujusdam militis (similiter defertor vagabundus dici potest) qui tredecim incolas oppidi de Argete solus spoliavit simul uno die in itinere ejusdem oppidi; & alio die tres agalones in itinere oppidi de Roças unum leviter vulnerando. Iste condemnatus fuit per judicem ordinarium urbis ad pœnam remigii, & eum appellasset, causa plenariè in

Aula discussa, sententia judicis à quo fuit revocata, & ipse suspensus, ac in frustra scissus, sententia diei 13. *Aprilis anni 1666*. Et nota quod in hoc casu, sufficit quod semel grassatio repetatur; ut notat Azevedo in *dict. leg. 6.* quia aliâ inanis, atque infructuosa esset dispositio, nam tertium furtum etiam absque qualitate grassationis, capitaliter puniri debet, ex generali consuetudine, ut dixi *controvers. trigesima sexta*, numero *trigesimo quarto*, & *controversia quadragesima prima*, *ferè per tot.*

Tertius casus est, quando præda in itinere facta est ingentis summa, ut in causa Joannis de la Espada, & aliorum; qui in ipso itinere de Alcala, pecuniam, quam jussu Domine nostræ Reginæ mitrebat ad præsidia Cathalonie instruenda, Don Sebastianus de Oleaga, expillarunt; quæ summam capiebant duodecim mille & quingentorum pondi argenti (*Reales de a ocho* unica constantes, dicimus) Hanc causam speciali commissione inquisivi, reos cum majori parte pecuniæ apprehendi, ac demum judicavi. Et licet unica tantum grassatio esset, ratione ingentis quantitatis, eos condemnavi ad pœnam capitalem. Nam licet ardua quæstio sit, an ex primo furto, quantumcumque magno, capitalis pœna irrogari possit; nam Doctores in varias sententias distrahuntur, ita ut negativam defendant Jul. Clarus in *Paragraph. furtum*, numero *nono*, Farinacius *questione centesima sexagesima septima*, numero *quadragesimo septimo*, Antonius Matthæus *de crimina*, libro *quadragesimo septimo*, *Digest. titulo primo*, capite *tertio*, numero *quarto*. Ex nostratibus Dominus Gregorius Lopez in *dict. leg. decima octava*, titulo *decimo quarto*, part. *septima* glossa *quinta*, in *fin.* Antonius Padilla in *L. transigere* numero *duodecimo*, *Code de transact.* Humada in *leg. prima*, titulo *decimo septimo*, part. *secunda*, Glossa *duodecima*, numero *primo*, Antonius Gomez libro *tertio*, *Var. capite quinto*, numero *septimo*, in *fin.* ubi Emanuel Soarez Azevedo in *leg. septima*, titulo *undecimo*, libro *octavo*, *recopil. numero centesimo tertio*, & Joannes Gutierrez in *pract. crimin. questio-*

ne centesima quinquagesima quarta, numero quinquagesimo, cum sequenti, qui plures alios referunt. Et affirmativam docuerint Baldus in *authentic. sed nova jure*, *Code de servis fugitivis*. Angel. de *Malefic. ver. vestem celestem*, numero *tertia*, Bajar. ad *Clarum dict. Paragraph. furtum*, numero *quadragesimo tertio*: Menochius *de arbitra. casu ducentesimo nonagesimo quinto*, numero *nono*, Peguera *decision. vigesima septima*, numero *sexia*, Tuscus *littera F*, *conclusion. quingentesima sexagesima quarta*, numero *quadragesimo quinto*; Petrus Cabal. *casu decimo octava*, ex numero *primo*. Giurb. *consil. sexagesimo octavo*, numero *decimo nono*, Berliquinus *tomo quarto*, *conclusion. quadragesima tertia*, numero *vigesimo secundo*, & *sequentibus*, Carpozovius in *pract. parte secunda*, *questione septuagesima septima*, numero *vigesimo tertio*, & *questione septuagesima octava*, numero *decimo quarto* & *decimo quinto*, ex nostratibus Dominus Covarruvias libro *secundo*, *Var. capite nono*, numero *septimo*, Bernardus Diaz in *pract. capite octogesimo quarto*, numero *secundo*, & ibi Salzedo *verb. pleatur*. Cevallos *commun. contr. commun. questione septingentesima quadragesima prima*, numero *quarto*, & *sexto*; Cantera in *sis questionib. rub. de furt. capite octavo*, numero *decimo*. Didacus Perez in *leg. prima*, titulo *decimo sexto*, libro *octavo*, *ordin. glossa prima*, *prope finem*, & licet negati non possit, quod Textus expressus de hac conclusione non reperitur, tamen hæc secunda sententia validioribus juris rationibus nititur, & absque dubio tenenda est, cum temperamento adducto per Don Joannem Vela *dict. capite duodecima*, numero *vigesimo quarto ad fin.* quod etiam docent Pichardus *dict. Paragraph. quarto*, numero *sexagesimo primo*, Zevallos & Azevedo *ubi proxim.* Dominus Gregorius Lopez in *leg. prima*, titulo *decimo septimo*, part. *secunda*, Aviles in *capite secundo*, *prator. verb. derechamente*, & novissime Aylon. ad Gomez *dict. capite quinto*, numero *octavo*, in *fin.* Nempè quando præter furti magnitudinem, aliæ qualitates adfunt furtum aggravantes, ita ut arbitrium sic penes judicem inspe-

ctis personis furantis & furtum passæ, res, locus, & tempus. Quod verissimum puto, quidquid dicat Gutierrez in *pract. crimin. questione centesima quinquagesima sexta*, numero *quarto*, cum sequentibus: in hac enim specie concurrant qualitates grassationis violentiæ cum armis, itineris publici, nocturni tempotis, & quod magis est, quod pecunia ad furtum spectans expilata fuit in tam ingenti summa. Et ex hac sola qualitate non poterat dubitari, quod crimen capitale admiserunt. Sic probat expressè Textus in *dict. leg. prima*, titulo *decimo septimo*, part. *secunda*, quæ dispositio juvatur ex Textu in *dicta lege decima octava*, titulo *decimo octava*, part. *septima*, per quam absolute cautum est quod furtum factum in itinere publico capite pleatur, & ex Textu in *lege secunda & tertia*, titulo *decimo quarto*, libro *octavo*, *recopil.* quibus dicitur in *dict. leg. secunda*, ibi: *sean casos de hermandad salcamientos de caminos & in dict. lege tertia*, ibi: *si el robo fuere de cinco mil maravedis arriba que muera por ello*. Et sic in terminis grassationis primæ tenent Dominus Covarruvias *dict. numero septimo*, Villadiego, in *leg. duodecima*, titulo *primo*, libro *octavo* *for. judic.* Antonius Gomez *dict. capite quinto*, numero *decimo*, Vela *dict. capite duodecimo*, numero *vigesimo secundo*, & Pichardus *dict. Paragraph. quarto*, numero *sexagesimo quarto*. Et licet in terminis grassationis, contrarium teneant Dominus Gregorius Lopez *dicta lege decima octava*, glossa *sexta*, & Gutierrez *ubi proxim.* non procedit eorum opinio extante *dicta lege tertia*, quæ quantitatem definit ut pœna capitalis debeatur; & quamvis Azevedo *ibidem*, dicat quod hodie mitigata est acerbitas illius, procederet mitigatio si excessus esset modicus, vel correspondivus alterationi valoris, quantitatis præfinitæ, secundum differentiam temporis, non verò quando excedit omnem cogitationem, ita ut millies, & amplius quantitatem legalem multiplicet.

Secunda qualitas aggravans fuit violentia cum armis, quæ sufficit ad pœnam

penam augendam usque ad mortem, ut dixi *controvers. preced. numero decimo, & undecimo*, ex Berliquo *quarta parte, conclusio. vigesima, numero quinto*, & Carpzovius *in pract. crimin. secunda parte, questione nonagesima secunda, numero duodecimo*, cum aliis ab eis adductis. Tertia qualitas aggravans fuit tempus nocturnum, quod penam generaliter aggravat in quocumque delicto, præsertim in furto, ut dixi *eadem controvers. preced. numero duodecimo, & decimo tertio*. Et quarta, quia pecunia erat fiscalis, quæ publicè, & palam tanquam talis dicebatur cum signo Regio in similibus assueto, quod non ignorabant aggressores. Et quanquam de jure ex crimine peculatus solum pœna aquæ, & ignis interdictionis debetur, juxta Textum *in leg. prima, Digest. ad legem Juliam, peculat. cum similibus*, de quo plura per Tiberium Decianum *libro octavo, capite trigesimo, numero undecimo*, & Farinacium *questione centesima septuagesima prima, numero secundo, cum sequentibus*, sed hodie pœna capitali plectitur, ut accuratè probat Antonius Matthæus *libro quadragesimo octavo, Digest. titulo decimo, capite secundo, numero primo, & secundo*. Quod apud nos dubio caret, ut expressè probat Textus *in dicta lege prima, titulo decimo septimo, part. secunda*. Dum in ea cavetur quod crimen læsæ majestatis includit, ibi: *tanto podría ser el furto, o el robo è en tal manera, e tal saçon fecho que se tornaria en traicion conocida*. Et in hac specie concurrant omnes qualitates per hunc Textum requisitæ, ut crimen læsæ majestatis comprehenderetur. Nam prima qualitas requisita, est magnitudo, *tanto podría ser el furto*. Quod à jure ex sui natura crimen aggravat & in aliam speciem convertit. *lege aut facta, Paragraph. quantitas, Digest. de pan. & in hoc casu erat maxima, eum viginti mille ducatorum summam superaret*. Secunda, quæ requiritur in Textu est modus, ibi: *è en tal manera, quæ comprobatur ex loco, itinere nempe publico*, quod pariter criminis speciem mutat, *dict. leg. aut facta, Paragraph. locus*, cum circumstantia corruptionis conductorum, cum armis

mortem minitendo, atque regiam potentiam contemnendo, quia ad ejus ferè conspectum ingens argenti summa suscepta fuit. Tertia qualitas temporis e *en tal saçon*. Nocturno tempore, quando pecunia ad instruendas arces deferebatur, dum imminabat hostilis exercitus, quando funus nostri Regis lugebamus, & hac de causa filcus extenuatus reperiebatur, ut ad necessitates publicas occurrere posset. Ob quod licet arbitraria reus pœna in eo Textu imponatur, ut Dominus Gregorius Lopez opinatur *in dict. leg. prima, glossa duodecima, non necessariò pœna mortis, tot concurrentibus ipsa debebatur: & sic in terminis dict. leg. prima tener Villadiego in leg. decima, titulo secundo, libro septimo, for. judic. Ex quibus omnibus quatuor reos ad pœnam mortis condemnavi sententia diei 16. Februarii anni 1666. quam executioni mandavi perducere, remota appellatione, consulto prius summo Justitiæ Consilio. In quo causa plenariè relata, confirmata fuit prædicta sententia & mihi remissa, ut ad executionem perduceretur, interlocutoria diei decime nonæ corundem. Sed obiter adnotandum est, quod in casu latrocinii de quo supra *numero decimo tertio*, Josephus Hernandez, qui consilium dederat grassatoribus, tortus, negativus ac demum convictus, duorum testium sociorum criminis dictis, in tortura ratificatis, pœna mortis civilis plexus fuit: in hac autem specie Didacus Duran qui consilium dederat, & furtum participavit, quæstioni suppositus, negans & postea convictus trium sociorum in tortura deponentium dictis, morte naturali fuit plexus. Rationem differentie tradidi supra *controvers. vigesima sexta, numero vigesimo quarto, cum sequentibus*.*

Quartus casus est, quando grassatio non fuit repetita, neque includit qualitatem aggravantem, & tunc licet controversum sit an pœna ordinaria imponenda veniat, & in puncto juris veriore crediderim sententiam affirmativam, quam tuentur Dominus Covarruvias, Antonius Gomez, Don Joannes Vela, & præceptor Pichardus *in locis superius relatis*, cui

cui adstipulatur Textus *in dict. leg. tertiam, titulo decimo quarto, libro octavo recopilat.* Quam nullus ex contrarium tenentibus expendit. Verumtamen quia *in leg. octava, titulo undecimo, eodem libro octavo*, expressè cavetur, quòd quoties congruè fieri possit, etiam in crimine grassationis, pœna corporalis commutetur in remigii, ut in simili latè disserui supra *controvers. vigesima prima, numero quadragesimo quinto, cum sequentibus*, omne dubium removetur.

29 Nam si in aliquo casu ex simili crimine reo commutanda pœna esset, maxime quando semel admittit, absque aliqua qualitate aggravante. Et sic decisum fuit per Aulam in casu cujusdam militis gregarii, qui in via oppidi de Bicalbaro apprehensus fuit expilando viatorem; ad cujus clamores satellites accurrerunt, & ex tribus grassatoribus, hunc solum assequi potuerunt. In hanc enim causam decidenda dubium suscitatum fuit, & dum pugnantibus sententiæ adessent, controversia deposita fuit, & per medium commutationis res decisa, atque reus post fustigationem ad trimes missus per decennium. De Piratis & curfortis, qui navibus ad hoc instructis, rapinas exercent, in Aula non tractatur, quia illius territorium non se extendit ad oras maritimas. De eis, Deo favente, tractabimus in secunda parte. Quæ dissertatio opportunè forsitan suscitabitur; nam in vasto Oceani Indici ambitu, Piraticæ artes, cum miseranda navigantium clade, exerceri solent.

D. D. Laur. Matthan, de Re Crim. Pars I.



CONTROVERSIA XLIV.

De falsa moneta feneratoribus & quâ pœnâ puniri debent.

SUMMARIUM.

- 1 Facti species narratur.
- 2 Falsa moneta crimen gravissimum. Legis Cornelia de falsis delictum comprehendit, ibidem. & peccatissimum, ibidem. Læsæ majestatis atrocitatem completur ibidem. Sacrilegii prævitatem includit, ibidem.
- 3 Moneta cudenda jus, de regalibus est.
- 4 Moneta adulterina feneratores, flammis tradi debent.
- 5 Textus in leg. secunda, Codice de fals. monet. expenditur.
- 6 Moneta adulterina feneratores, ut pœna ignis plectantur, aliqui tenuerunt, quod solidos aureos adulterasse, est probandum.
- 7 Textus in leg. quicumque 8. Digest. ad leg. Cornel. de fals. expenditur.
- 8 Dispositio dicti Textus extenditur ad feneratorum nummorum argenti.
- 9 Dari ad bestias, mortis naturalis pœna fuit.
- 10 Monetam majorinam adulterantes, pœna capitali plectebantur, licet esset ex ære, & argento conflata.